P. LOTICHII SECVNDI ELEGIARVM LIBER.

Eiuſdem Carminum libellus, ad D. *Danielum Stibarum Equitem Francum.*

LVTETIAE

Ex officina Vaſcoſani, uia Iacobæa.

M. D. LI.

DANIELO STIBARO EQVEti Franco P. Lotichius Secundus. S.P.D.

CVM è Sequanis diſcedens, Lutetiam ueniſſem, & eò mihi de noua Germaniæ noſtræ perturbatione amicorũ literis, multorúmque ſermone eſſet allatum, ſane pro eo ac debui, grauem animo cepi dolorem. Nã cum in meo ex ea ipſa diſceſſu, ex tacito ſummorum ordinũ conſenſu, lux quædam Reipublicæ oborta, & fundamenta pacis atque concordiæ in ampliſſimo principum Senatu iacta eſſe uiderentur: nõ modo belli incendio, ſed etiam metu eius omni atque timore è Republica ſublato, eoq; in ſpem amplam & certam boni omnes adducerentur: poſt tantas calamitates, fœlicem aliquando rerum commutationem eſſe futuram, dolebam mehercule animóque angebar, nihil non modo eiuſmodi bonorum uirorum expectatione dignum, tanto præſertim tempore interiecto eſſe conſecutum. Sed etiam neſcio quo fato fortunáq; populi Germani accidiſſe, ut quod tẽpus ad priſtinæ dignitatis ornamẽta recuperanda, quietis & trãquillitatis pleniſſimũ fore omnes exiſtimabãt, id ſubito ad Reipub. reliquias diſſipãdas, ueteriſq; incendij flãmas redintegran-

DANIELO STIBARO EQVEti Franco P. Lotichius Secundus. S.P.D.

CVM è Sequanis diſcedens, Lutetiam ueniſſem, & eò mihi de noua Germaniæ noſtræ perturbatione amicorũ literis, multorúmque ſermone eſſet allatum, ſane pro eò ac debui, grauem animo cepi dolorem. Nã cum in meo ex ea ipſa diſceſſu, ex tacito ſummorum ordinũ conſenſu, lux quædam Reipublicæ oborta, & fundamenta pacis atque concordiæ in ampliſsimo principum Senatu iacta eſſe uiderentur: nõ modo belli incendio, ſed etiam metu eius omni atque timore è Republica ſublato, eoq; in ſpem amplam & certam boni omnes adducerentur: poſt tantas calamitates, fœlicem aliquando rerum commutationem eſſe futuram, dolebam meherculè animóque angebar, nihil non modo eiuſmodi bonorum uirorum expectatione dignum, tanto præſertim tempore interiecto eſſe conſecutum. Sed etiam neſcio quo fato fortunáq; populi Germani accidiſſe, ut quod tẽpus ad priſtinæ dignitatis ornamẽta recuperanda, quietis & trãquillitatis pleniſsimũ fore omnes exiſtimabãt, id ſubito ad Reipub. reliquias diſsipãdas, ueteriſq; incendij flãmas redintegran-

das planè conuerſum eſſe uideatur. Qua in cogitatione, ſiue dolore potius, cum ſuperiorum etiam temporũ, quibus ego in ipſa belli acerbiſſimi tempeſtate uerſatus, recordarer, Elegos quoſdam meos, quibus ego in tanta rerum omnium conuerſione, & Reipub. & literarum etiam noſtrarum cladem interitumq;, iuſto quidem ac debito animi dolore eluxi, lectione reuoluere cœpi, in quibus cum & iſtorũ temporũ, & meæ etiã fortunæ imaginem intuerer, reipub. quidem nomine, quòd ita armis afflicta eſſet, ut diuturno ſe otio recreare uix poſſet, eum quem par erat animo cepi dolorem. mearum autem rerum gratia nihil mihi quidquam moleſtum eſſe debere arbitrabar, propterea quòd ita natura comparatum, ut quo malorum periculorúmque ſenſus maior extitiſſet, eo plus haberet uoluptatus ſecura iſtorũ recordatio, ut non tam mali atque aduerſi ego aliquid eo ipſo perpeſſus, quàm ad omnem fortunæ impetum atq; leuitatem tanquam diſciplina adhibita informatus mihi eſſe uidear. Eo autem in his uerſibus relegẽdis uerſatus ſum lubentius, quo magis ea ſtudia longis intermiſſa temporibus, nullisq; adhuc interea interuallis repetita, ne obſoleſcerent, renouanda eſſe putaui exercendo. Quos iam emendatos à me limatosq; politius cum in

apertum

apertum referre cogitaſſem, in nomine tuo potiſſimum apparere uolui, eosq́; cum paucis hendecaſyllabis mittendos ad te eſſe putaui: non quòd quidquam hîc ſummo tuo ingenio, exquiſita doctrina, ſingulariq́; iudicio dignũ lecturum te putem (ſum enim in hoc ſcribendi genere, cum meæ mihi imbecillitatis conſcius, tum non ignarus, quàm in eo ipſo difficile atque arduum, niſi ſingulari aliquis naturæ ui ac bonitate ducatur, cogitationes ſuas ſic illuſtrare ac eloqui poſſe, ut ad ueterum in eo genere ſuauitatem atque elegantiam ſimile quiddam expreſſum eſſe uideatur.) Sed ut eos perpetuæ meæ in te obſeruantiæ ſtudij atque amoris tanquam prædes atq; indices à me habere poſſes, in quo ſi, ut ſpero, excellenti tua uirtute & humanitate fretus, officium meum probabis, nihil erit, quod ſummis maximisq́; tuis in me beneficijs adijci poſthac poſſe uideatur: quæ cũ tanta ſint, ut ego ſi uitam pro dignitate tua profundam, uix minimam partem eorum uidear eſſe aſſecutus, ſtudium certè atque amorem tui ita præſtabo, ut me eo ipſo qui ſuperet, habeas omnino neminem. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Idibus Februarij 1551. Georgius Gabrielus Stibarus gentilis tuus, & Henricus fratris F. &

Cunradus Dimerus ſummæ ſpei adoleſcentes, quos mihi commendaſti, ſalutem uobis dicunt. Vale.

P. LOTICHII SECVNDI
Elegiarum liber.

ELEGIA I.

QVæritis unde leues Elegi, uel cuius ad aures
Hoc breue, lugubris muſa, feram⁹ opus.
Finibus egreſſi, quem Sequana perfluit, orbis,
Ad maris immunem carpimus Arcton iter.
Ter Canis Erigones caluit feruoribus aër,
Falciferæ meſſem ter ſecuere manus:
Ex quo finitimi Boreæ ſub cardine mundi
Compoſiti, lituos inter & arma, ſumus.
Limina nec clauſi priuata reliquimus unquam,
Nec populi notos contigit ore legi.
Publica nos inter monumenta uenire iuuabat,
Sed tenuit cœptas rés que locúſque uias.
Sæpe pater metuens, cur, inquit, abire paratis?
Hoſpitio feſſos qui iuuet, ecquis erit?
Pars quoque de nobis flammis immitibus arſit,
Ne foret autori pernicioſa ſuo.
Ille tamen precibus noſtris & tempore uictus,
I, bene quod uertat, flebile, dixit, opus.
Sed neque bis tinctas concha Sidonide ueſtes,
Nec gere compoſitis myrtea ſerta comis.
Vade ſine inuidia, uelíſque minoribus uti
Sis memor, antennas fert leuis aura tuas.

Imus, & ex uero miſerabile nomen habemus,
Diſparibus uecti, nam uia longa, rotis.
Si potes imbelles Elegos proſcindere liuor
Parce, nec inuiſas inſtrue felle manus.
Sin minus, at uanos exerces inuide morſus,
Nec, licet inſultes, ut timeare facis.
Non ſumus ignari (nec pœnitet) ante malorum,
Sæpe niues tulimus, ſæpe ſub axe gelu.
Inter & ærumnas & ſæuos uiximus enſes,
Fingere cum doctum carmen inertis erat.
Ah quoties nũeros lachrymis quærẽtibus aptos,
Horribiles nobis obſtrepuere tubæ?
Verba tremẽs quoties manus imperfecta reliquit,
Claſſica cum ſubitò pulſa dedere ſonum?
Vos quoque cũ ſummo ſpectetis ab æthere terras,
Scitis hyperboreo proxima ſigna polo.
Sydere ſub ueſtro per mille pericula rerum,
Non ſemel infeſtas nos toleraſſe uias.
Tempora notitiam nunc eripuere locorum:
Dic age, quà ſit iter, ſi quis amicus ades.
Hæc ubi nos furtim, diſcedite, rettulit unus:
Quam petitis Mauors nũc quoq; uaſtat humũ.
Protinus ora color maculis ſuffuſa reliquit,
Ah miſeri quorum prælia fine carent.
Pœnitet, heu, ſero flagraſſe cupidine lucis,
Cuius opem miſeri, quódue petemus iter?

Si ua-

Si uacat, ô noſtri decus & tutela poëtæ,
Porrige manſuetas docte Stibare manus.
Nóſque tui ſtirpem, ſi non graue, ſuſcipe uatis,
Muſa leues Elegi non oneroſa ſumus.
Nec pedibus laſſi quod non incedimus æquis
Deſpice, ſcis longas quid ſit inire uias.
Tu quoq; uidiſti Ligerim, magnũq; Garumnam,
Et Rhodani uitreas, quas Arar auget, aquas.
Qui tulit externas incommoda multa per oras
Ille fatigatis æquior eſſe poteſt.
Nec te pœniteat querulos euoluere uerſus,
Et patriæ lectis ingemuiſſe malis.
Omnia ſi numeres, uel temporis unicus huius
Mille dies cauſas, unde queramur, habet.
Candida dij faciant pax arua reuiſat & urbes,
Cædibus & ueniat diſſidiisque modus:
Vt meliore tuas celebremus carmine laudes,
Temporibúſque ſonus conuenienter eat.
Tu procul hinc noſtro præſtas ſecura parenti
Otia, quæ meminit muneris eſſe tui.
His ſibi nec mallet, gemmarum quicquid Eous,
Quicquid in auriferis colligit Indus aquis.
Pectora non releuant mordacibus anxia curis
Quas Tagus, aut fœlix egerit Hermus, opes.
Sed Muſæ comites, & quæ ſua quęque uoluptas
Immemorem duræ ſortis ubique facit.

Ergo tuum nomen ſublime feremus ad aſtra,
Indecores nec nos eſſe querere tibi.
Tunc uirides cingent cum baccare tēpora lauri,
Formáque conueniens, aptáque ueſtis erit.
Nunc placido requiē quærentibus annue uultu,
Et ſine tutelæ nos opus eſſe tuæ.
Hoc ubi contingit, ſatis eſt: uos ardua regum
Limina, ſolliciti plena ualete metus.
Tu quoq; pacis īops, nec adhuc adeūda ſub Arcto
Dum licuit nobis hoſpita terra, uale.

ELEGIA II. AD MELchiorem Zobellum Vuerttachenſem compatrem ſuum.

Tu quoque pars charos inter mihi prima ſodales,
Qui comes & muſis nuper amicus eras.
Tu quoque ſæua paras duri certamina Martis
Caſtráque poſthabito nunc Helicone ſequi?
Et tibi iam tanti eſt, artes cognoſcere belli,
Et fera quo ſoleant prælia more geri,
Scilicet ut primo Phœbi deſertor in æuo,
Militiam ſtudiis dulcibus anteferas?
Ferreus ah quicunque tubas enſéſque parauit
Primus, & innocuis gentibus arma dedit,
Spargere funeſtum, pro tam crudelibus auſis
Debuit ipſe ſua cæde repertor opus.

Otia tuta prius ſine ſanguine mundus agebat,
Notus erat ferri nec ſceleratus amor.
Pro gladiis falcem norant, pro caſside raſtrum,
Gratior & clypeo uomeris uſus erat.
Ardua qui firmat nunc turribus oppida, muri
Præſtabat ſepes uimine texta uicem.
Tunc tibi bellando clarum Germania nomen
Noſtráque libertas ſanguine parta fuit.
Tunc patriis ſæuos arcebas finibus hoſtes,
Fœlices ætas quos prior illa tulit.
Nunc tua dilacerant immiſſæ uiſcera gentes,
Vendis & externis in tua damna fidem.
Nunc cruor & cædes, nunc effera prælia ſemper.
O pereant enſes deficiántque tubæ.
Me iuuat immunem (liceat modo) uiuere belli,
Signáque muſarum proſperiora ſequi.
Quæq; legat ueniens noſtri non immemor ætas
Carmina tranquillæ fingere pacis opus.
Sed tamen auſus erã rigidus quoq; nuper in armis
Degere, natalis motus amore ſoli.
Et iam molle cauo (memini) caput ære tegebã,
Aptus & huic lateri quamlibet enſis erat.
Ante meos oculos ſed conſtitit una dearum
Lauriferi ſyluæ quas Heliconis habent.
Conſtitit, & galeam, paulum blandita, reſoluit,
Noſtráque cur demens otia linquis ait?

Quid tibi cum gladio funeſtis cædibus apto?
Quid grauat æratæ cuſpidis haſta manus?
Iam populatrices inter potes ire cateruas?
Iam longæ patiens eſſe ſub axe uiæ?
Nec tibi Phœbus erit, nec carmina dulcia cordi,
An potes ingenij non meminiſſe tui?
At (memini) primò uiolenta timere ſolebas
Prælia, Marsq; tuis auribus horror erat.
Vnde nouus rigor hic, unde illa ferocia uenit?
Mitis honoratæ pacis amator ubi es?
Sed decus arma dabũt, & erit pro ſanguine mer
Gloria nec durum parua ſequetur onus: (ces,
Quin meliora ſacris largimur præmia Muſæ
Vatibus, Aonia nomen ab arte feres.
Carpit edax rerum gemmas, aurúmque uetuſtas,
Eſt que quod immenſo perſtet in orbe nihil:
At decus ingenij durat, uatúmque labores.
I nunc inuentas ſanguine confer opes:
Vt meliora tuæ ſpernas præconia famæ,
Forſan & infœlix, non rediturus eas.
Suſtineasque niues, & miſta grandine uentos,
Et uigil hyberna frigora noćte pati.
Ah teneris maius ne quis iuueniliter annis
Audeat, & uires conſulat antè ſuas.
Prima tibi ſtudiis adoleſcit dignior ætas,
Non decet imbelles arma tenere manus.

Adde quòd incerto Mars prælia turbine miſcet:
Euentus uarios belláque ſemper habent.
Ipſe ferox etiam pugnæ deus arbiter, haſta
ſaucius Aetola, qua Venus ante, fuit.
Gratia ſi uilis noſtra eſt, tibi parce, nec autor
Ante diem properes funeris eſſe tui.
His ego commotus dictis, uultúque rogantis,
Ite ſtatim dixi, caſtra tubæque procul.
Rurſus & Aonius calor in mea pectora uenit,
Sæuáque deuoui quæ prius arma tuli.
Difficile eſt rapidos naturæ abſcondere motus,
Ponere difficile eſt quæ placuere diu.
Scilicet ingenuas manſueſcunt corda per artes,
Nec rigidos mores, eſſe Thalia ſinit.
At tu quãdoquidem ſic temporis impetus urget,
Et furor in præceps cuncta dolorque rapit,
I tua quo Zobelle uocat te feruida uirtus,
Et domitis referas hoſtibus arma domum.
Prælia tunc poſito narrabis munere Bacchi
Quæ facies pugnæ, qui fuerintque doli.
Qualiter aduerſis concurrant agmina ſignis,
Aurea dum clamor bellicus aſtra ferit.
Et bene nota ducum referes, & nomina regum,
Ordine, cumque ſuis omnia facta locis.
Et quæcunque nouis exhauſta pericula terris:
Hunc celeri portet Lucifer axe diem.

ELEGIA III AD
Iacobum Micyllum.

Me tenet Oceani nunquam ſubeuntibus undas,
Syderibus gelidi terra propinqua poli.
Anguis ubi geminas, quo non ſinuoſior, Arctos
Separat, & nexus inter utranque facit.
Finitimis ſpirans licet immanſuetus ab oris
Sæpe truci Boreas turbine uerrat humum:
Fugit hyperboreum, ſeptem propiore Trioni
Blandius adducto ſole micante, gelu.
Phœbus & æſtiuo lucem dum porrigit ortu,
Temperies cæli mitior eſſe ſolet.
Albis iter tacitè peragit, fluuióque uadoſo
In ripa gelidum radit utraque nemus.
Gratáque frondẽtes præbent umbracula rami,
Gramen & irriguum proximus humor alit.
Dulcibus & uolucrum ſyluæ concentibus altæ
Plurima cantantes quas tegit umbra, ſonant.
Quid loquar arboreos, hortorum munera, fœtus?
Diuitis & fruges quas habet uber agri?
At pax mitis abeſt, & opertas callidus hoſtis
Tecta per inſidias undique bella parat.
Viuit & inuiſis nobiſcum miles in armis,
Incurſus omni parte timente loco.
Vimine de lento munimina ſuſtinet agger,
Denſáque ſuggeſta texta replentur humo.

Structá-

Structáque de ſolido ſtant propugnacula ſaxo,
Et nouus inducta murus obitur aqua.
Machina præterea crudelis ahenea belli
Omnia concutiens eiaculatur onus.
Cuius ab impulſu liquidum fragor æthera terret,
Inficit immixto fumus & igne diem.
Non ſecus ac quatiens rapido cũ murmure cœlũ
Iuppiter eliſo nubibus igne tonat.
Hos inter ſtrepitus, ſæuíque pericula Martis
Cogor inoblitos pectore ferre metus.
Nec mihi nocte quies, nec adeſt mihi tẽpore Phœbi,
Dura ſed eſt pariter nox, & amara dies.
Fortunate ſenex, tu grata remotus ab armis
Otia, quod toto pectore lætor, agis.
Progeniémque tuam ſpectans, certóſque penates
Dulcia ſecuræ commoda pacis amas.
Et modo fluminææ ſpatiaris margine ripæ,
Menus ubi liquidas aduena uoluit aquas.
Aut gelidas uatum petis oblectamina ſyluas,
Aonij fingens carminis omne genus.
At mihi nec grata leue ducere frigus ab umbra
Hoſte ferè prædam ſemper agente, licet.
Nec ſolitis charum ſtudiis impendere tempus
Ingenio uires eripiente metu.
Nunc quoq; (uix credes) duris aſſueſcimus armis
Nec manet, ut fuerat nuper, inerme latus.

Vtque manus longam non inſcia dirigat haſtam
Diſcimus,ut gladium callidiore modo.
Et placidæ fruſtra reminiſcimur otia uitæ
Cum gemitu,ô pacis dulcis & alma quies.
Ducere quàm miſerum eſt rigido cũ milite tẽpus,
Qui putat armata cuncta licere manu?
Eſt etiam ſocios illis iugulare uoluptas,
Pérque uias dantur uulnera,pérque domos.
Ergo fugam doctæ meditantur ab urbe ſorores,
Plectráque iam ſolita rarius arte mouent.
Obſtrepit imbelli citharæ fidibúſque canoris,
Dum rapidæ clangor nunciat arma tubæ.
Ibimus ô diuæ Libethrides,otia finem
Dulcia,quæ rumpit barbarus hoſtis,habent.
Hoſpita iamque uale tellus,habitatáque Muſis
O domus,ô ſacri templa ualete chori.
Ite relinquendi,quò quenque aget error,amici,
Exulibus uires ſpes animoſa dabit.
Hanc tamẽ altus adhuc radiis præcinctus acutis
Cynthius adducto ſydere luſtrat humum.
Flatibus & rapidos leuis aura ſalubribus æſtus
Temperat,Erigones igne micante canis.
Quid,pluuios iterum flexi cum ſolis ad Auſtros
Ima recedentes orbita ducet equos?
Et glacialis hyems Aquilone gelúque niuali
Horrida,currentes frigore coget aquas?

Hoc etiam, quoniam tulimus peiora, feremus,
Dum peragent cœpti fata rigoris iter.
At tu pro miſeris, ut ſæuam leniat iram
Offenſum precibus flecte Micylle Deum.
Vt maneat fœlix obſeſſas exitus urbes,
Mœnia nec ſæuo diruta marte cadant.
Triſtibus hoc penitus nec in orbe tumultibꝰ artes
Ingenuæ, Muſas hoſte fugante, ruant.
Tempus ut his redeat poſt bella quietius, ora:
Perpetua detur ſic tibi pace frui.

AD IOHANNEM ALTVM Elegia IIII.

Iam ſene Phillyrio Phœbus poſt terga relicto
Tempus, equos tardans, ſolſtitiale facit.
Porrigit & triſtes tenebras, & noctis opacæ
Longior anguſtos efficit umbra dies.
Iā nec in hos portus uenit, ut prius, hoſpita nauis,
Nec liquidum radens labitur arbor iter.
In glacie puppes dura cum funibus hærent,
Dum fluuij rigido conſtitit unda gelu.
Et rapido Boreas contriſtans frigore cælum
Finitimo denſas ſpargit ab axe niues.
Cum tamen ætherei radiantia lumina ſolis
Craſtinus Eoo ducet ab orbe dies.

Arua cito repetes ſine me natalia paſſu,
Quæ gelidus uitreis Aedera findit aquis:
Aedera qui uatis cunabula præterit Heſsi,
Non procul à cuius natus es Alte uadis.
Vade (nec inuideo) dulcéſque reuiſe penates,
Nec tua crudelis uota moretur hyems.
Dum licuit ſtudiis in mitibus egimus annos,
Et fuit Aonia gratius arte nihil.
Iuuit & accenſos doctorum nomine uatum
Ingenio curam laudis agente frui.
Scis equidē, nec ſunt nemus antráq; neſcia noſtri,
Quercus & annoſo robore, propter aquas.
Sæpe ſub hac teneris factū modo carmē in herbis,
Aëra mulcentes legimus inter aues.
Sæpe (recordor enim) de bello multa referre
Dulce fuit, ſed nunc eſt meminiſſe dolor.
Nā cito nos charis trux mœnibus expulit hoſtis,
Iuſsit & exilio uertere dulce ſolum.
Iamq́ue inuiſa gerens hederæ cultoribus arma
Pægaſidum miles templa prophanus habet.
Forſitā (ah facinus) turpi quoq; ſanguine fœdat,
Dicit & in doctas aſpera uerba Deas.
Claſsica pro citharis, galeæ pro uirgine lauro,
Pro muſis rigidi militis uxor adeſt.
Errat inops Phœbus, cœtu comitante ſororum,
Blandáque iam longo tempore muta lyra eſt.

Quæ facies capta lachrymoſior urbe fuiſſet,
Quàm grege Pieridum quæ fugiente, fuit?
Sorte receſſuris dura mora parua dabatur,
Et malè pacatus non procul hoſtis erat.
Vtque ferus, pulchri decus & ſolatia ruris,
Mane ſuburbanas uſſerat ignis opes.
Tecta ſalutamus lachrymis habitata profuſis,
Vndique fumantes reſpicimúſque caſas.
Quis referat gemitus, ſingultantéſque querelas?
Verbaq́ue dicentum, dulcis amice uale?
Adde tot inſidias, & quod confecimus unà
Per loca ſolliciti plena timoris, iter.
Arctius hæc noſtras iunxere pericula mentes,
Terráque mirata eſt hoſpita ſæpe duos.
Nunc quoque nõ comitẽ tibi me, quocũq;, negarẽ,
Per coaceruatas, qua uia nulla, niues.
Cum quo uel Schyticas auſim luſtrare paludes,
Ire pharetratos ulteriúſque Getas.
Turbidus & quanuis nimis Aquilonibus aër,
Et quanuis rigido terra ſit alba gelu.
Sed præbente nouo crudeles hoſte tumultus,
Quo cuperem, tecum non licet ire mihi.
Sæua nec interea nos tutos frigora præſtant,
Per gelidas miſcent prælia dura niues.
Vicinæq́ue fremunt uariis aſſenſibus urbes,
Nec ſatis exactum eſt, quid magis eſſe uelint.

Clamq́ue ſuis tentant aſciſcere partibus illas
Non bene de patria qui meruere Duces.
I tamen, & rigidas tu, cui licet, effuge terras
Alte, fuit ſocio quo mihi triſte nihil.
Dulcibus ereptum Muſis, florentibus annis
Me Boreæ flabris horrida tundat hyems.
Tu ſacra Pieridum cole ſemper amata ſororum
A quibus è mœſto pectore cura fugit.
Admonitus noſtri quoq; forſan ab artibus illis,
Debita pro reditu ſuſcipe uota meo.
Illud amicitiæ te per uenerabile nomen,
Nunc quoque ſupremo forſitan ore rogo.
Quin & ubi ueteres ſaluere iubebis amicos,
Quæ tulerim referas omnia, quæq́ue feram.
Quantaq́ue iam rerum nos inconſtantia uerſet,
Inuideat cœptis ſors ut acerba meis.
Hæc poterunt charos audita mouere ſodales,
Optabit placidos & mihi quiſque dies.
Atque aliquis dicet lachrymis in uerba profuſis
Dijfaciant referas ut celer inde pedem.
His utinam precibus numen cæleſte, meiſque
Annuat, ut minima te ſequar Alte mora.

AD CHRISTIANVM LOtichium fratrem.

ELEGIA V.

Aequoris

Aequoris expertes dũ uiuo remotus ad Arctos,
Quà Boreæ tellus frigore pigra iacet:
Signa bis illuſtris cæli duodena peregit
Aethereos anni qui regit author equos.
Tempus ad hoc ſemper me ſors inimica fatigat,
Cunctáque perpeſsis aſperiora cadunt.
Aut grauis inualidos languor mihi cõficit artus,
Debile nec uires corpus habere ſinit.
Nec ſemel hæſuros iugulis effugimus enſes,
Dum niuis & patiens grandinis, exul agor.
Aut teneræ uires ultra, ſortémque iuuentæ,
Iactura chari temporis, arma gero.
Vt taceam quæ multa nocent incommoda belli,
Multáque ne noceant, prætereunda mihi.
His tamen ô utinam Lacheſis contenta fuiſſes
Parte mei luctus exaturata malis.
Sed nũc fama tui procul huc quoq; funeris index
Venit, in Arctoo dum moror orbe, pater.
Neptis & indicium lugubre peregit ademptæ,
Quam mors è cunis in caua buſta tulit.
Ergo ego ſemper ero fatis agitatus acerbis?
In lachrymas toties ſufficiámque nouas?
Horrida Sarmatici non inclementia cæli
Barbarus in curas non ſatis hoſtis erat?
Debita ſors etiam miſeræ fuit iſta iuuentæ,
O graue naſcenti ſydus atróxque mihi.

At patre fingebam reditum mihi ſoſpite demẽs,
Illud & ante oculos iam mihi tempus erat.
Sic prior excipiet genitor, ſic porriget ambas
Lætitia fletus excutiente, manus.
Cum ſene tũc uitreis quæ perfluit Alera lymphis
Rura, uel humectat quæ celer Aura, colam.
Temporis hîc illum priſci meminiſſe iuuabit,
Inque uicem curas audiet ipſe meas.
At ſimul ad metam conceſſi uenerit æui,
Mortis ego faciam ne ſit acerba dies.
Frigida iámque manu componens lumina, dicã,
Sit pater æternum paxque quiéſque tibi.
Inde genu poſito ſuper, affuſuſque ſepulchro,
Dona, piis ſolito more, ſuprema feram.
Hæc mihi fingebam renuentibus irrita fatis,
Solamen noſtris ſpes erat illa malis.
Quin eadem precibus caſtis uotisque rogabam,
Cum uotis ſanctæ nil ualuere preces.
Ergo nec ante obitus data copia cernere ſaltem
Te mihi, nec pompa funeris ire tui?
Nec potui præſens audire nouiſſima uerba,
Non aliquid dixi quod meminiſſe iuuet?
Tu quoq; me lachrymis es queſtꝰ abeſſe profuſis,
Cum gemitu quærens, filius alter ubi eſt?
Ille tibi miſerãde parens ſummotus ad Arcton,
Extremum fati neſcit adeſſe diem.

Cur

Cur ego ceſſaui, cur me tenuere ſodales?
Lentus in hyberna cur regione fui?
Scite tamen chari manes, haud ſortis acerbæ
In gelidis potui certior eſſe locis.
Non mihi prærupti montes, aditúque carentes,
Non iuga feciſſent nubibus æqua moram.
Flabra nec inſani Boreæ, Cauriq; furentes,
Saxa nec Hercyniæ rupis amicta niue.
Per gladios pietas iter inueniſſet apertum,
Hoſte fero cunctas impediente uias.
Si tamen eſt lachrymis etiam placabilis umbra,
Quà licet, es lachrimis umbra piata meis.
Soluimus inferias (quãuis procul abſumus) illas,
Siue dies, ſeu nox uenerit atra, fleo.
Feraléſque gerens uittas inſigne doloris,
Dulce queror miſero nil ſupereſſe mihi.
Tu caſtos inter manes cœtúſque uerendos
Elyſia tempus ualle receptus agis.
Lucida iam tenebris ibi conſpicis aſtra relictis,
Et quæ multa latent lumina noſtra, uides.
Alluditq; ſuo, permiſta recentibus umbris
Neptis auo, matri ſarcina prima ſuæ.
Filius hinc ducit te læta per arua piorum,
Et lateri gaudet proximus eſſe tuo.
Fœlix morte ſua, nec chari funera uidit
Patris, & eſt ſæuo paſſus ab hoſte nihil.

Nos te chare pater delamentamur ademptum,
Nec triſti ceſſant imbre madere genæ.
Nos deſiderio luctus renouamus acerbos,
Hoc quoque quo poſſum nõ dare maius,habes.
Nec uos(ſpero equidẽ)manes ſine honore pater-
Spreta ſub ignoto ceſpite claudet humus: (ni
Corpus & in cineres cum longa redegerit ætas,
Pars melior noſtra uoce ſuperſtes erit.
Et ſuper impoſitus tumulo breue carmẽ habebit
Vt tua uiſuris indicet oſſa lapis.
Quáque reliquiſti uitales mortuus auras
Semper honoratas inter habebo diem.
Primus & aſpiciam tollentem lampada Phœbũ,
Et dicam,lachrymas aduehit iſte meas.
Interea bellis turbantibus omnia,frater
Sollicitæ curam tu genitricis agas.
Et memor aſsidue noſtri fœlicior abſens,
Siue,quod heu uereor,ſiue redibo. Vale.

AD MICHAELEM BEVtherum Caroloſtadiũ Elegia VI.

Iam tepet à Zephyris iterum ſpirantibus aër,
Frigoris immodici plena receſsit hyems.
Vere nouo molli ueſtitur gramine tellus,
Arbor & umbroſas induit alta comas.

Fertile

Fertile nunc etiam tauris renouantibus aruum,
Accipit iniectum ſemen aratus ager.
Prodit & è ſulcis teneroq; cacumine nutat,
Meſſis & in grauidæ ſpem uiret, alma ſeges.
Et nemorum ſolamen auis, ſub fronde latētem,
Vnguibus, & docili conſtruit ore larem.
Prata uirens muſco uiolis halantia riuus
Perfluit, & flores lenior aura fouet.
Decerpuntq; roſas & candida lilia Nymphæ,
Vt niuea texant florida ſerta manu.
Iamq; leues redeunt tepefactis oſſibus ignes,
Ipſaq; cum tota corpora mente uigent.
Ergo erat ut patriam deſolatóſque penates
Hyberno peterem non remorante gelu.
Aut uiridi Muſis dans utile tempus in æuo,
Niterer ingenio nomen habere meo.
Nunc ualidis iaceo defectus uiribus æger.
Solus in ignotis miles inópſque locis.
Nec iuuenile mihi ſupereſt decus, inficit artus
Pallor, & exangui membra colore notat.
Deficit & ducens uitales ſpiritus auras,
Oráque uix præſtant arida uocis iter.
Deſtituúntque gradum non firmo poplite nerui,
Nec tentata ſalit uena tenore pari.
Scilicet hæc mortis dantur mihi ſigna propinquæ.
Viximus, exacto tempore, fata uocant.

Nec mihi nunc patriam ſupereſt ſpes ulla uidēdi,
Manibus hæc tellus eſt habitanda meis.
Sed tamē extremos moriēs quoq; uertere uultus,
Si liceat, dulcis qua iacet ora, uelim.
Paruus ubi ſalices & opacas Cynthius alnos
Nutrit, & obliquis curſibus arua ſecat.
O mihi ſi gelidæ, rigui de fonte petitus
Acidis, has fauces hauſtus inundet aquæ.
Quam iuuet herboſo uerſare in gramine corpus,
O ripæ medio dulce cubile die.
Frigida Pægaſides ueſtro date pocula uati,
Vtilis ut rapido me leuet igne liquor.
Ferte ſalutiferas herbas, ueſtriſq; reuulſa
Gramina, Pæonijs uſibus apta, iugis.
Me miſerum quanto ſuccenſus torqueor æſtu?
Quàm rapidos ictus ſentit utrunque latus?
Pectora nec mulcēs uenit ī mea lumina ſomnꝰ;
Omnia dum media laſſa quiete iacent.
Cuncta ſilent, carpunt homineſq; feræq; ſoporē,
Denſaq; ſopitas occulit arbor aues.
Sola dolet mecum noſtras imitata querelas,
Et plenum gemitus dat philomela ſonum.
Integrat & triſtes uicinis abdita ramis
Forſitan illa meo tacta dolore, modos.
Carminibus ſua fata leuat, fœlicior ales
Daulias, inualido nil opis illa ferunt.

Nil latices,preſsiq; iuuant radice liquores,
Pocula ſunt fruſtra ſæpe negata mihi.
Cūcta nihil proſunt medicamina,creſcit in horas
Tabidus,& uires tempore morbus agit.
At reditus nati genitrix ſibi fingit inanes,
Cui lethi ueniet nuntia fama mei.
Flebit,&,hei matris,plāgens ſua pectora,dicet,
Nate leuamen,ubi es? quóue ſub axe iaces?
Incipiétque grauem primum ſentire ſenectam,
Cuius ego requies grata ſuperſtes eram.
Si qua fides animæ dum iam fugit halitus,ulli,
(Sic precor hæc luctus finiat hora meos)
Non ego quód primis inglorius auferor annis,
Nec procul à patrio quòd lare,fata moror.
Tu facis,ah miſeranda parens,tua ſerior ætas,
Tempus in exiguum cur ſupereſſe uelim.
Intempèſtiuus ne ſim tibi funeris author,
Morte mea curas accumulante tuas.
Si tamen importuna feret me Parca,leguntq́ue
Vltima fatales hîc mihi fila,deæ:
Manibus inferias,orò,largire ſepultis,
Cum repetes patriæ dulcis amice ſolum.
Oſſáque præteriens ne calcet operta uiator,
Fac lapis inſcriptis indicet illa notis.
Illam poſt obitus,lucis ſolamen ademptæ,
Si mereor,cineres ſpem ſine ferre meos.

Tunc ego nō pario cæſum de marmore buſtum,
Gentis odoriferæ nec mihi dona uelim.
Sed procul à cœtu lugente ſilentis Auerni,
Tempus agam, tumuli lætus honore mei.
Chara uale genetrix, & tu germane, ſorórque
Fidus & abſenti ſi quis amicus eras.
Túque loci uates conſors natalis, & ægro
Terra mihi patriæ non repetenda, Vale.

AD IOANNEM HAGIVM Francum. Elegia VII.

Vota mouēt ſuperos, (expertis credere dignū eſt)
Vota Deos, Hagi, ſint modo iuſta, mouent.
Summus.n. diræ pater in diſcrimine mortis,
Audiit attenta ſupplicis aure preces.
Hûc ades, aiebam, noſtróque medere dolori
O Deus, à cuius ſpes mea pendet ope.
En languore grauis iaceo ſine uiribus ullis,
Imáque nunc propius ſerpit in oſſa malum.
Tu potes incolumem miſeræ ſeruare parenti,
Tu proferre tuo numine fata potes.
Non tua finitur ſpatio numeróue poteſtas,
Vtq; aliquid fiat te uoluiſſe ſat eſt.
Ergo age, lenis ades, ueniáſque ſalutifer ægro,
Omnipotens, per te, per ſobolémque rogo.

Nil agitur ſuccis, ad opemq; potentibus herbis,
Ars, ſine te, medici nil operoſa ualet.
Aſpice deſertum pater & miſerere iacentis,
Tu quoniam mitis, non quia dignus ego.
Ipſe tibi meritas ſeruatus carmine grates
Munere pro uitæ, muneris autor, agam.
Ipſe coronabo ſertis redolentibus aras,
Et dicam laudes, quo precor ore, tuas.
Tu modo ſupplicibus uotis precibúſque faueto,
Et defecta ſuo membra uigore iuua.
Talibus orantem, numen cæleſte repulſam
Noluit hac fretum me bonitate, pati.
Membraq; iam ualidas reparãt languẽtia uires,
Iam redit in faciem, qui fuit ante, color.
Nec lateris cruciatus adeſt, & anhela receſſit
Febris, & ora minus torret amara ſitis.
Vtq; ſuas uiridi cunas ſub fronde relinquens
Debilibus pennis aëra tentat auis:
Sic ego nunc tardos quoque deſuetudine greſſus
Laſſus, & exiguo uerba retento ſono.
Nec mihi iam totæ ſomni ſine munere noctes
Inualidis miſeré quæ uigilantur, eunt.
Nec uel hyoſcyami cum ſemine tẽpora adũgit
Mandragoræ cortex, rubráque fila croci.
Nec bibo lactucæ permiſta papauera ſuccis,
Sponte ſua facilis non eget arte ſopor.

Quinetiam ſpatior uicinis lætus in hortis,
Et graue ſit quoties ire, dat herba torum.
Ergo mihi ſummi quem iunxit fœdus amoris,
Cuius ab ingenio gaudia mille fero:
Templa petas mecum niueis in ueſtibus Hagi,
Votáque perſoluas, concipiasque preces.
Sed quibus aut faciam præconia debita uerbis?
Aut quo ſancte pater munere gratus ero?
Non dabimus coſtũ, ſuccúmue liquẽtis amomi,
Nec te panchæi thuris honore colam.
Grata tibi mens labe carens, & recta uoluntas,
Inque tui flagrans agnitione fides.
Summe pater, ſobolesq; patris, quiq; halitus afflas
Omnia, qui firmans nos, ab utroque uenis:
Omnipotens, cuius diuina potentia finem
Non habet, æternum laus ſit honorque tibi.
Tu facis ut uideam cælum, iucundáque ſolis
Lumina, quod reditũ ſpero loquorq;, tuum eſt.
Ergo mihi ſemper caſto celebrabere uerſu,
Laudibus ingenium ſeruiet omne tuis.
Quantáque te genitor teneat miſeratio noſtri
Cum patet admiſſi pœnituiſſe, canam.
Vtque Palæſtinæ ſit uirginis æditus aluo
Filius, immenſo non genitore minor.
Tunc loquar immites pœnas, & funus acerbum,
Mortis & humanum præmia magna genus.

Tu modò quæ nũc mota fremũt bella, horrida bel
Non ſine per triſtes longius ire moras. (la
Vt fera ciuilis genetrix diſcordia belli
Martius & noſtro ceſſet in orbe furor.
Tunc tibi, pacis opus, reſonantia fila iuuabit,
Tunc tibi deſuetæ plectra mouere lyræ.

AD SYLVAS
Elegia VIII.

Iuſta queror, quanuis nil proficientia fundam,
Præcipitéſque ferant irrita uerba Noti.
En iterum ſyluæ noſtras audite querelas,
Sæpe quibus ſolis teſtibus iſta loquor.
Nam grauius tacitis mens carpitur anxia curis,
At mihi cui referam nullus amicus adeſt.
Ergo iuuat nemorum iactare per inuia queſtus,
Hoc licet, his ſolis cura leuanda mihi eſt.
Vnica ſunt lachrymæ noſtri medicina doloris,
Quæ prius in ſtudiis eſſe ſolebat, abeſt.
Qua merui culpa tam ſæuam numinis iram?
Quæ coniurarunt in caput aſtra meum?
Cultor Apollineæ modo qui placidiſſimus artis,
Aſpera cum lituis bella perorſus eram.
Nunc agor inſanis uiolenti Martis in armis,
Vix numerans uitæ bis duo luſtra meæ.

Ingrediorq́; fero tenerum latus enſe reuinctus,
Enſe laceßitas inſtruo ſæpe manus.
Aſperitáſque mihi ſimulatur, & opto timeri,
Et meditor rigidis moribus eſſe ferox.
Scilicet idcirco feſſos ætate parentes,
Cum patria charos deſeruíque lares?
Ne mihi cum ſacris eſſent commertia Muſis
Amplius? & uulgi pars rudis una forem?
Hoc aliquis nuper ſi prædixiſſet ituro,
Miles in his terris quas petis arma geres:
Tu quoque dixiſſem, pelago licet altior, Arctos
Occidui uetitas in maris ibis aquas.
Parrhaſides liquido uos æquore tingite ſtellæ,
Arma peregrino miles in orbe gero:
Icariiq́; ferens ſub caßide ſyderis æſtus,
Quo uocor hûc, illuc puluerulentus eo.
Vos ego nunc dulces, qui me defletis, amici
Admonitos iubeo caſibus eſſe meis.
Diſce memor ſortis, quiſquis ſapis, eſſe futuræ,
Nec placidis nimium rebus habere fidem.
Quã cito præcipites Zephyrus mutatur in Au-
Ire ſolet pulſo nubila ſole dies. (ſtros!
Lenibus à portu flabris qui lintea pandit,
Mergitur in medio nauita ſæpe freto.
Ecquis ad horrendi certamina triſtia Martis
Crederet à Muſis dulcibus eſſe uiam?

Temporis

Temporis Aonides iuuat ô meminiſſe beati,
Omnia quo tutæ plena quietis erant.
Cum foret, ô ſyluæ, gelida mihi dulce ſub umbra,
Carmen & irriguas fingere propter aquas.
Nunc rapidas pugnas, bellíque pericula tento,
Mœnibus & foßis iam propiore malo.
Nunc quoque dũ ſyluas latebroſáq; ſaxa peragro;
Hîc latere ex omni cogor habere metum:
Nõ procul hoſtis abeſt, miſereri neſcius hoſtis,
Agmen & in prædam ſemper equeſtre uenit.
Et iaculis edens latas & acynace ſtrages,
Sæua Getis ſolito prælia more gerit.
Quid loquar, occiduo quas miſit ab orbe cohortes
Barbarus indomitæ rector Iberus aquæ?
Quiſquis es, inuiſum te ſemper Erinnyes atræ,
Vltrices diræ proditionis agant.
Aut ita mille modis lacer, in contraria uerſis
Vt Metius quondam, diripiaris equis.
Qui populi furiis turbare ſub axe quietem
Auſus es, & terras his aperire tuas.
Quod precor eueniet, mouere cacumina quercus,
Syluáque concußis annuit alta comis.
In patriæ cladesignominiámque ruentis,
Dic age, ciuilis non ſatis enſis erat?
Audiet hæc ueniens, & deteſtabitur ætas,
Mœrentíſque nepos tempora flebit aui.

Cor micat et penitus tremor ima perãbulat oſſa,
Cum ſubeunt oculis omnia uiſa meis.
Quanta ſitis noſtri (ſed non impune) cruoris?
Quantus in immani pectore cædis amor?
Non pietas obſtat, ueterũ quoque ſanguine turpi
Limina templorum relligioſa madent.
Morte piæ grauiora timent, fugiúntque puellæ,
Inq́ue ſinu matres pignora parua gerunt.
Inualidíque ſenes curſu nituntur anhelo
Vndique, præcipites quo metus acer agit.
Ah quoties dum luſtra ferunt per deuia greſſus,
Incitat à tergo quælibet aura metum?
Ah quoties ſtrepitum ramis facientibus altis,
Hoſtiles aliquis credit adeſſe pedes?
Interea Schyticis equitum de finibus alæ,
Agricolæ rapiunt diffugientis opes.
Et pedes indomitos tectis inſontibus ignes
Iniicit, ad nubes atra fauilla uolat.
At ſimul è ſpeculis dat buccina martia ſignum,
Terribiléſque tubæ, raucáque terga ſonant:
Ilicet arma fremũt omnes, arma arma frequẽtãt,
Vnáque per muros uox ſonat, hoſtis adeſt.
Hoſtis adeſt uox una ſonat, ſimul agmine facto
Non mora degeneres arguit ulla metus.
Inde ruunt ueluti Lybiæ de montibus altis
Seu leo, ſiue canum morſibus actus aper.

Nam

Nam dolor ardentes iuſtiſſimus incitat iras,
Pectoráque igneſcunt, plúſque uigoris habēt.
Sed pauidus uiſo dat inertia milite terga
Hoſtis, & auerſos calce fatigat equos.
Tollitur ad cælum denſa caligine puluis,
Terráque quadrupedum curſibus icta tremit.
Mox redeunt iuſtíque ſenes, pauidæque puellæ,
Siue nemus latebras, ſeu dedit alta ſeges.
Aſpiciúntque ſuæ fumantia culmina uillæ,
Sed trepidus pulſat tunc quoque corda pauor.
Et ueluti lachrymæ ſedare incendia poſſint,
Ex oculis dempto fine per ora fluunt.
Hæc miſeris ſupereſt poſt omnia ſola uoluptas,
Hoſtis inhumana de feritate queri.
Hinc artus lateri, ſparſóſque inuenta per agros
Corpora, natali defodiuntur humo.
Fœlices animæ, parta iam pace quieſcunt
In patria, pro qua non timuere mori.
Nos timor incertus, bello pendente, futuri
Verſat adhuc dubios, ſpéſque timore minor.
Terga dat interea pariter fœlicior ætas,
Et ſine fruge dies non reuocanda, fugit.
Ergo nec Aoniæ cingent mea tempora lauri,
Carmina nec doctis uatibus æqua canam.
Hoc quoque Pierides ſæuis debebimus armis,
Si modo non bello nos grauiora manent.

Hei mihi quæ duris uox collibus icta reſultat?
Triſte quid hoc iterant concaua ſaxa? manent.
Nil læti ſupereſt, oſtentant omnia luctus,
Neſcio quæ clades ſera, ſed ampla uenit.
Hoc erat heſternæ quod turbida noctis imago,
Mœſta quod obſcœnæ ſigna dabatis aues.
Sanguine quinetiam, cum ſcãderet æthera, ſolis
Oblitus (admonitu terreor) orbis erat.
Tu tamen hæc ſerua noſtri monumenta doloris
Arbor, & inciſis creſce uidenda notis.
Quas aliquis uiridi ſpectans in cortice, tempus
Militiæ poſsit flebile ſcire meæ.
Sortis & admonitus præſentis, fletibus herbas
Sæpe meis ſparſas, ſpargat & ipſe ſuis.
Quid queror infœlix? ſine põdere uerba querẽtis
In pelagus rapidis deuehit Albis aquis.
Sic iterum, ſic ſæpe tamen iuuat edere queſtus,
Hos mihi cum bello finiet una dies.

AD CHRISTOPHORVM
Herdeſianum.
ELEGIA IX.

Eſſe per inſidias iter Herdeſiane monebam,
Dicebam toties hoc iter omne caue.
Tu tamen obſeſſas peregrinæ milite gentis,
Auſus es inuitis omnibus ire uias?

Propo

Propoſitũ nec uterque parens inhibere, nec udis
Flectere te potuit fida puella genis?
Obſtupui, & ſubitò gelidum formidine ſenſi
Pectus, (ut audiui) diriguiſſe metu.
Nam mihi cuncta tuæ conſors patriæque uiæque
Rettulit, & nobis quærere cura fuit.
Eſt locus (aiebat) pars frugibus apta ferendis
Læua, ſed arboribus conſita dextra uiret.
In medio uallis nemoralibus humida riuis,
Apta quidem fraudi, ſed minus apta fugæ.
Hîc ferimus riguas dũ greſſus mane per herbas,
Inq́; uicem grata uoce leuamus iter:
Enſibus, ecce, minax ſtrictis à parte ſiniſtra
Protinus (horreſco dum loquor) hoſtis adeſt.
Fertur & ut torrens è uertice ſpumeus alto,
Eruta qui rapido ſaxa fragore trahit.
Hoſtis agens pecorúmq; greges, armentáq; ſecũ,
Incola dat latè, quà ruit ille, uiam.
Iámque propinquãtes, iam nos clamore uocãtes
Cernimus, & ratio nulla relicta fugæ eſt.
Ilicibus denſum uia ſaxa per aſpera ducit
In nemus, hæc monſtrat prima ſalutis iter.
Dúmq; uagæ pecudes, oneroſáq; præda ſequẽtes,
Vallis & aſsiduis uda moratur aquis:
Montis in oppoſiti (miſerabile) nitimur altum
Vt quibus eſt curſu uita tuenda, iugum.

Luſtráq; ſcrutamur nigrantibus abdita ſyluis,
Et minus inuiſæ quæ loca lucis habent.
Vertitur ante oculos lachrymoſæ cædis imago,
Et ſuus arbuſtis omnibus horror ineſt.
Sub Ioue ſic, Phœbo lucem præbente, latemus,
Sic quoque funeſtum nocte ſequente diem.
Nocte nec obſcura, nec Phœbi tempore, uenit
In uigiles oculos ſomnus, in ora cibus.
Auribus accipimus uulgi lamenta per umbram,
Et nemus aſsiduis queſtibus omne ſonat.
Deflet uterque parens natos, natíque parentes,
Vir mala deplorat coniugis, illa uiri.
Paruus & in dumis puer à genitrice relictus,
Mater io ſyluis abdita, clamat, ubi es?
Mater, io, ſi uiuis, ubi es? quis talia ſiccis
Audiat, ut lachrymis non riget ora, genis?
Iámque receſſuris pallebant aſtra tenebris,
Et querulos cantus mane dabatis aues.
Surgimus optatæ ſub prima crepuſcula lucis,
Quíque fuit nobis, impetus ire, manet.
Ortus erat Phœbus, redit hoſtis, & ecce cohortis
Ductor anhelanti nos petit acer equo.
Stamus, & Aoniæ cultores dicimus artis
Immunes belli nos habuiſſe manus.
Nomen ad Aonidum, iuuenes confidite, dixit,
Nos etiam mites erudiere Deæ.

Impia

Impia nec prædæ me traxit in arma cupido,
Cum populus terras cura uidere fuit.
Sic ait,& nobis,ubi Cæſar agebat,in urbem
Exhibuit tutum,quam Sala ſtringit,iter.
I nunc, & monitis præbere fidelibus aures
Turpe puta,ſubitò,nec metus obſtet, eius.
Non habet euentus placidos temeraria uirtus,
Hæc quoque quæ poteris tuta putare,time.
Dic tamen ô iuuenis tantis erepte periclis
Quo mihi nunc rapto uiuere triſte foret.
Ante tuos oculos cum lethum triſte uideres,
Quid tibi tunc animi? qui color oris erat?
Forſitan & noſtri memor hac in ſorte fuiſti,
Conuertens oculos hac per inane tuos:
Dixiſtique uale, pars quiſquis es una meorum,
Vltima lux oculis eſt hodierna meis.
Hæc mihi narrabis,quibus addes auribus hauſta,
Viſaque ſollicitæ tempore multa uiæ.
Vt,quam mille prius regum peperere labores,
Nunc bona libertas nomen inane,ruat.
Nec dedignatos poſitis (heu dedecus) armis,
Sponte iugum magnos turpe ſubire duces.
Albis & in ripis ut millia multa uirorum,
Viderit infanda proditione mori.
Heu ubi ſancta fides? turmæ fugiſtis equeſtres,
Et fruſtra petiit miles inultus opem.

Iſta mihi referes, cum mœnia ueſtra reuiſam,
Omnia, quæ tacito condet uterque ſinu.
Nanque loci rurſus tangor natalis amore,
Gratáque uicinæ ſpes mihi pacis adeſt.
Quod niſi me fallunt mentis præſagia, tecum,
Erigonem quando Phœbus adibit, ero.
O mihi lætitiam cum pace datura perennem,
Fortunata mihi térque quatérque dies.
Martia qua ſignis fulgentia caſtra relinquam,
Ruráque ſub gelido quæ uidet Vrſa polo.
Rurſus & incipiam uitæ memor eſſe prioris,
Admonitus ſacri carminis, atque mei.
Vóſque per Aonios ſequar, ô mea gaudia, mõtes.
Inuentor citharæ Phœbe, nouémque Deæ.
Alloquar et dulces quibus ante fruebar amicos,
O mihi ſolennis ſemper habenda dies.
Hanc celeri genetrix ut Memnonis adferat ortu,
Adde tuas noſtris Herdeſiane preces.

ELEGIA X.

Cingite io lauri, ter io mea cingite lauri
Tempora, finito prælia Marte ſilent.
Nunc funeſta mihi (uix poſſum credere tantũ)
Arma licet facta pace referre domum.
Iam nihil eſt totum quod in his tolerauimus oris,
Quæq́ue fuit durum ferre, tuliſſe iuuat.

Nunc ſcio quā placidæ ſint dulcia cōmoda pacis,
Belláque ſint terris quale cruenta malum.
Proderit hæc olim prima ſenſiſſe iuuenta,
Martis inexpertis dulce uidetur opus.
Eſte ſalutati quos ſum complexus amici,
Siue quis in ſtudiis, ſeu tulit arma ſimul.
Vos ego nūc, animi pars noſtri magna, relinquā,
Natalis repetens dulcia rura loci.
Caſtra ualete, ualete enſes, uale hoſpita tellus,
Et nemus, & lachrymis conſcia ripa meis.
At tu parce precor ſubiectis arbiter orbis,
Humanæ factus ſortis ab hoſte memor.
Læta uolubilibus uictoria paſſibus errat,
Et magni reges, & cecidere duces.
Gloria uictori eſt, uictis donare ſalutem,
Hac quoque laus maior nulla futura tua eſt.
Eſt aliquid miſeros citra ſcelus eſſe nephandum,
Nec ſubitò crimen quod male ceſſit, habet.
Lenius ô ſpirate leues è uallibus auræ,
Dum Canis æſtifero ſydere findit humum.
Ipſe manu tergens uultus ſudore fluentes,
Nitar inacceſſæ rupis adire iugum.
Nec breue nocte dabo ſpatium, nec luce quieti
In patria donec, quo mihi curſus, ero.
Qua iacet à ueteris mons dictus nomine Druſi,
Summáque pars quercu, uitibus ima uirent.

Paruus & à Francis uicinos Cynthius Heſſos
Separat, & gelidam fons rigat Acis humum.
Hîc tacitos inter montes, lucóſque ſilentes,
Otia ſecuræ plena quietis agam.
Et teneræ uobis dicam mea carmina Nymphæ,
Pectore lætitiam uix capiente ſuam.
Salue dulce ſolum, non lenis & optima rerum
Pax tibi, non agri fertilis uber abeſt.
Nec liquidi fontes, & amicti palmite colles,
Multus & ad rigui fluminis hortus aquas.
Nec tibi prata ſuis deſunt rorantia riuis,
Vbera quique ferunt nectare plena greges.
Luſtra quid altorum nemorum uenatibus apta,
Et uolucrum referam carmina mille ſonis?
Salue terra meæ ſeruans cunabula gentis.
Terra potens æquo iure, deúmque metu.
Quam te blanda fouet placidi clementia cæli?
Quam rigidis diſpar forma ſub axe locis?
Serior his utinam me uallibus occupet ætas,
Quas olim ueteres incoluiſtis aui.
Nec mihi deficiant arbor, certique penates,
Et liquor in patriis quem tulit uua iugis.
Nec lyra maturis uires adimentibus annis,
Triſte ſenectutis quæ leue reddat onus.
Pegaſides, requies curarum ſola mearum,
Pegaſides noſter, quicquid agamus, amor,

Pegaſides quarum uirtus ope funera neſcit,
Vos ego quod ſupereſt tēpus in omne colam.
Vos date Caſtaliæ, uatum pia numina, ueſtro
Plena ſacerdoti pocula rurſus aquæ.
Nec mihi ſit damno, fuerit licet, otia linquens
Veſtra, quod inſani militis arma tuli.
Non ego ſuppoſui tectis inſontibus ignes,
Facta nec iniuſta eſt dextera cæde nocens.
Vos quoque ſum lituos inter ueneratus & enſes,
Quódque fuit uacuum tempus ab hoſte, dedi.
Déque tot amiſſis etiam nunc pauca ſuperſunt
Carmina, militiæ tempore facta meæ.
Qualiſcunque meis uiuas diuturnior annis,
Cum fieres requies grata libelle mali.
Te leget & ueniens nobis erit æquior ætas,
Si quis & eſt liuor deſinet eſſe mora.
Paſcitur in magnis tantum malus ille poëtis,
Inferius ſæuis morſibus illud opus.
Aſpera cum numeris grauioribus arma ualete,
Pax iuuat, in teneris ſint mea regna modis.

ELEGIARVM FINIS.

P. LOTICHII SECVNDI Carminum Liber,

AD D. DANIELVM STIBARVM. EQ. FR.

HVnc dono tibi luſuum meorum
Non dico lepidiſſimum libellum
Mecœnas uenerande, ſed pudicum.
Curas inter, & anxios timores
Et ſortis querimonias amaræ
Annis uiximus, heu, tumultuoſis,
His in fluctibus, impetúque rerum
Ecquis molle quid exararet, ecquis
Verſus conderet elegantiores?
At nunc munere cum tuo reuiſam
Iucundos Aganippidum receſſus,
O prædulce meum decus Stibare,
Blanda, ſi mihi dij fauent, in umbra
Halans myrtus ubi ſalubriores
Et laurus redolens miniſtrat umbras
Puris & nitidiſſimis, nec ætas
Quos uentura reduarguat libellis
Laudes omne tuas feram per æuum.

AD IVLIVM MICYLLVM Iacobi filium.

En, pulcher tenebras fugans
Sol lucem uehit annuam,
Qua uirgo peperit Deum
Prægnans flamine ſancto.
Iuli ſume patris lyram,
Et Iheſu puero puer
Intactæq; puerperæ
Dulces incipe cantus.
Nobis paupere ſub caſa
Aeterni ſoboles patris,
CHRISTVS Virginis innubæ
Caſta prodit ab aluo.
Expers labis enim parens
Verbo fit grauis igneo
Quam cæleſtibus integram
Afflat ſpiritus auris.
Agnoſcit pecus, & gregis
Cuſtodes dominum, quibus
CHRISTVM nunciat angelus
Ad præſepe iacentem.
En Ieſſeius enitet
Læto germine floſculus,
Matutina uelut micat
Cælo ſtella ſereno.
Halans qualis amaracus
Dulcis quam liquor irrigat,

Cultos mane per hortulos
Auras mulcet odore.
O quæ præuia regibus
Fulſit dona ferentibus
Fœlix ſtella, ubi par ei
Aut iucundior ignis?
Te nunc Emanuel precor,
Te ſplendor rogo gloriæ,
Qui de lumine lumen es,
Summi patris imago.
Sis placabilis, & bonus
Nobis luce nouiſſima,
Aeternus ſit honor tibi,
Trinum numen & unum.

AD IOHANNEM Hagium Francum.

Hagi prime ſodalium meorum,
Qui, dum nos aleret nouem dearum
Tuto Lanus in otio, ſolebas
Mecum carpere ſæpe non inertem
Fultus ceſpite florido quietem:
Quà purum ſalices, utraque ripa,
Frondoſis fluuium comis opacant.
Quid, dum bella tument nephanda, rerum

In Martis geris urbe? me niuali
Longo tempore detinet ſub Arcto
Fati ſæua neceſsitas acerbi.
Hic tabeſco tot anxijs pereſus
Curis (hei) ſine te, miſerq́; uiuo
Inter tela licentiamq́; ferri
Diuiſus procul à meis libellis.
Et nunc uel ſitus hos araneoſus
Fœdat, nunc tineas alunt edaces
Noſtræ delitiæ, uel aſper igni
Miles tradidit, hoc fleam neceſſe eſt.
Hagi prime ſodalium meorum.

AD LEONHARDVM Munſterum.

Sollicitas habili citharæ dum pollice fila,
Succinis & tenui murmure, uiue tibi.
Et uitare mones præluſtria, chordáque dulces
Pulſa dat, & chordas uox imitata ſonos:
Ducere cum Muſis uideor Munſtere choreas,
Quoq́; ſedes, Helicon eſt locus ille mihi.
Quis deus afflatū rapit hoc ſuper æthera pectus?
Monſtrat & affectus poſſe docere lyra?
Non ita populeis mœret philomela ſub umbris
Huic ſimilis quanuis nulla ſit inter aues.

Ad uada nec tali dulcedine pura Cayſtri
Carmen olor moriens exequiale canit.
Sic celebrans epulas citharã cum uoce mouebat
Demodocus, lachrymas eliciente ſono.
Carmina pectoribus, mulcendis auribus apta
Eſt lyra, me chordis uox ſociata iuuat.
Vtraque cum præſtes, quid dulcis amice rependã?
Hoc precor, ut uiuas tempus in omne tibi.

AD MELCHIOREM ZOBELLUM Vuertachenſem compatrem ſuum.

Dum te Martius à tuis camœnis
Septem ſuppoſitum furor Trioni
Caſtris detinet in laborioſis,
Terras pulſat ubi gelu peruſtas
Thetis Balthica: nos tui ſodales
Iucundiſsime Melchior Zobelle
Altus, Varus, Acontius, ſecundus,
Ad ſedes patrias ſumus reuerſi.
Hîc nunc inter amabiles amicos
Narrantes uarios periculorum
Caſus, bella, fugas, ducum ruinas,
Exhauſti reminiſcimur laboris.
Et te ſæpe Zobelle nominamus,

Dum

Dum furtim cadit humor ex ocellis,
Et uotis celerem tibi precamur
Acri à militia uacationem.
O tempus dolor illud, atque lucem
Infauſtam meminiſſe, cum ſupremo
Digreſſu, manibus meis inhærens
Vix ſummum lachrymis uale profuſis
Poſſes reddere, ſed petens ab alto
Proſpectum tumulo, diu ſodales
Agros proſequereris in patentes:
Quanuis & graue frigus, & propinqui
Sæuas incuterent minas Iberi.
Viuas molliter axe ſub niuali,
Viuas dimidium mei, nec olim
Obliuiſcere mi Zobelle Muſas.
Creſcunt in reditum mei ſodalis
Et lauri, & Veneri dicata myrtus.

AD FONTEM ACIN.

Valle ſub umbroſa teneras qui perfluis herbas
Nomen ab ilicibus quà trahit Aci nemus:
Tu mihi grata quies, & dulce leuamen in æſtu,
Ceſpite feſſa leuas membra, liquore ſitim.
Murmur & inuitat blãdos in margine ſomnos,
Lenis & è gelidis uallibus aura uenit.

Necpecudes riuum, nec turbat limus, & imum
Splendidior uitro lucet ad uſque ſolum.
Flumineos latices hîc libat, & abdita ramis
Multa nemus querulis cantibus implet auis.
Hei mihi quod iuuenis tellure altrice relicta
His careo ſyluis, his ego ſemper aquis.
Quà gelida quondā me ſæpe recordor in umbra
Aonias puerum conſuluiſſe Deas.
Dulce ſed exhauſti meminiſſe laboris, eritq́;
Ante pererrato gratior orbe quies.
Iamq́; uale rurſus, noſtri memor, herbifer Aci,
Hoc tibi diſcedens opto, perennis eas.

AD IOHANNEM ALTVM.

Sæpe meæ nomen ſimul inter uina puellæ
More iubes priſci temporis Alte bibam.
Tu Violantillam potas, mihi Claudia ſeptem
Dat cyathos, & iam frigida fugit hyems.
Quid faciam ſicci cum terga Leonis adibit
Phœbus, & ingratus faucibus æſtus erit?
Ergo meæ propter nomen breue cogar amicæ
Ferre ſitim? tanti nulla puella mihi eſt.
Non tamē hanc dominā mutabo, ſitimq́; leuabo,
Quid facies igitur, quæris? amabo duas.

AD GEORGIVM SABINUM Brandeburgenſem.

Immor-

Immortale decus Sabine uatum,
Qui nunc ad uada Bregelæ uetuſtos
Doctis artibus imbuis Boruſſos.
An fœliciter es domum reuerſus?
Hinc cum ſarcinulis tuis uenuſtis
Muſarum ſimul atque liberorum
Vt ſpero, auſpicio bono profectus?
Ad flauum tuus Oderam Secundus
Iucundæ memor allocutionis
Synceræq́; benignitatis. optat
Nunc & pegaſeos ſibi uolatus
Et deſiderat omnibus diebus
Dilectos iterum uidere uultus.
Sed nunc aëra fortè peſtilentem
Vitans, grex ſubitò nouem ſororum
Tecum præcipiti fuga receſſit,
Vrbes Bregela quà duas ab una
Pulchro ſeparat alueo, facitque
Curſus inter utranque flexuoſos.
Hic (nam triſtia multa nuntiantur)
Hei, quantum mihi fecit audienti
Imis rumor in oſſibus dolorem.
At quocunque ſub axe uiuis, oro
Sis noſtri memor, anxióſque luctus
Dulci progenie, tuíſque leni
Curas diminuentibus libellis.

Dum ſoles redeant ſereniores.

AD GEORGIVM FAbricium Chemnicenſem.

Argutæ fidicen lyræ Georgi
Dic nobis age, cur tuos libellos
Illos dico nouos, & elegantes,
Illos candidulos, & expolitos
Perfectum tibi uicies ad unguem,
Incluſos retines domi? nec ire
Doctorum ſinis ora per uirorum?
Iam ſat (nam modus eſſe debet) illos
Aerumnoſa coërcuit litura,
Iam flores lepidos ſat addidiſti,
Iam permitte licentius uagari.
O quod te pretium manet laboris,
Indelebile nomen & uoluptas!
Non æuo tibi degener futuro
Liuor dentibus inuidis nocebit.
Multis nec lyricis minor per orbem
Iunctus uatibus ibis, & legeris.
Saluete ô lepidiſſimi libelli,
Dulces in quibus abluere Muſæ
Et blandas Charites manus & Horæ,
Quàm uos térque quatérque ſuauiabor?

INFERIAE AD TVMVlum Materni Steindorfer in urbe Hieræ.

Hoc tumulo Materne iaces, hic corporis artus,
Hic tua poſt obitus contegit oſſa lapis.
Has lachrymas gratæ pro conſuetudinis uſu
Hæc cape, de lachrymis ſerta rigata meis.
Suauior hîc nullus mihi uixit, in otia Phœbi,
In ſacra Pieridum mollia natus eras.
Cognita quid memorem duri certamina Martis?
Hei mihi quòd nullas mors timet atra manus.
Hîc igitur Materne iaces? hei fertile pectus
Ingeniúmque ſagax, & ſine labe fides.
Spiritus æthereas colit, unde receſſerat, arces
Iamq; odio, cæci quicquid amamus, habes.
Oſſa cubent tumulo fœliciter, ultima donec
Nos iterum iungat, quod precor, hora duos.

IN PENTECOSTEN AD Chriſtianum Lotichium fratrem.

Da frater mihi Chriſtiane plectrum,
Templis da citharam ſacris amicam:
Lux ſolennis agatur hæc quotannis
Qua firmans deus, erigensq; ſancto

Olim pectora ſpiritu ſuorum
Auris omnipotentibus ſupernè
Afflauit: precibus piisq; uotis
Hanc lucem celebremus, ô ſupremi
Patris feruida, filijq; flamma
Fac nos cuncta mouens uigor nefandi
Puros criminis, integróſque uitæ,
Blando corda reuinciens amore,
Da ſolatiolum, tuiq; curis
Dulci numinis expeditus hauſtu
Sanctus totus ab ignibus liqueſcam.
O fax certa precúmque gratiæque,
Conſtans pax animi, quiesq; rerum,
Dum nos lubrica fluctibus tot ætas
Incertos agit, & graues procellæ
Tu caſtæ arbiter inſtitutionis
Flammis pectora tempera pudicis.

AD NYMPHAS.

Fontibus Nymphæ genus unde ſacrum,
Quæ ſalutares colitis receſſus,
Et ſcatens riuis nemus, & calentes
Sulphure lymphas.
Ecce ſexcentas uoueo coronas,
Pro mei uobis reditu Stibari,

Vt ſuos ueſtris repetat penates
Soſpes ab undis.
Grande qui rerum columen mearum
Hîc odoratas cithara per herbas
Dulce me curis iubet expeditum
Fingere carmen.
Hunc ſuſurrantes zephyri, leuéſque
Dum redit, paſſim uenerentur auræ
Veris umbroſi comites, nec Auſter
Concitet imbres.
Ipſe frondenti calathos hibiſco
Sedulus texam gracilique iunco,
His reus uoti cumulabo ueſtras
Protinus aras.
Nunc maris rorem ſat amaracúmque
Et comas thymbræ dare, poſt & udas
Offeram myrtos, & Apollinaris
Germina lauri,

AD RVDELIVM & Draconem.

Rudeli, decus arbitérque legum,
Raucas Tethyos adfrementis undas:
Et tu mi Draco, cui Thalia rorat
Succos dulcibus atticos labellis,

Lugete ô ſimul, & pari dolore
Vbertim lachrymæ per ora manent,
Stillatímque fluant, & hinc & illinc.
O duram Lacheſim, ô maligna fata,
Heu fata aſpera, triſte nuntiatur
Factum triſte, nimíſque luctuoſum.
Lympergus ſuperas reliquit auras,
Lympergus iacet (heu) procúlque Menus
In ripa tumulum uidet recentem.
Nos longis regionibus remoti
Vdas nec lachrymis damus coronas:
Nec (ſi qua eſt ea manibus uoluptas)
Quem ſaltem properans legat uiator
Signamus titulo breui ſepulchrum.
At tu, cui citharæ potens canoræ
Dulci muſa dedit placere uerſu,
Raptum funere tam bonum ſodalem
Fatis eripe mi Draco, nec olim
Lympergum premat inuidis tenebris
Aetatis taciturnitas futuræ.
Sed candor niueus, grauíſque uirtus
Longis carmine conſecrata ſeclis
Noteſcant magis, arduíſque famæ
Semper latius euagentur alis.
Hoc eſt ære perennius ſepulchrum.

M. RO-

M. ROSA AD FORES Meliſſæ.

Sol lucis author occidit, fugit dies,
Sol fundit alter aureum mihi iubar,
Meliſſa dum liquoribus roſarium
Irrorat, heſpero micante pulchrior
Meliſſa ſaucians mihi cor intimum.
Hæc cum ſororibus ſub hoc crepuſculum
Flores calore languidos aquis rigat,
Et limpido imbre tingit, ô ter & quater
Beata amarace, ô beata lilia.
Vos illa mulcet aridam leuans ſitim,
Vos roris has refrigerantis undulas,
Meum, ſed ebibit puella ſanguinem.
O ſi liceret, ipſe lachrymis meis
Vos irrigarem, uos decus reſumitis,
Vobis honor redit, ſed ipſe langueo,
Et ſicut herbulæ liquoris inſciæ
Areſco ſemimortuus, tamen foret
Nec mors acerba, ſi Meliſſa paululum
Dulci meum cor irrigaret oſculo
Incendium leuans: ſed heu, quid (heu) querar?
Sol dum loquor repente noſter occidit,
Iam lux recedit, ingruitque nox grauis.
Vale Meliſſa, cordis unicum mei
Leuamen, ô roſæ ô ualete lilia.

AD MATHIAM STOIVM Regiomontanum.

Rumor ait Stoi tenera me Lotide captum,
Sed negat indicio Claudia noſtra fidem.
Déque mea narrat probitate, rogatáque cauſam
Ex animo dicit colligo fida meo.
Rarus amor certe, ſed dic quid amice rependam?
Sit pretium fidei non dubitata fides.

AD IOANNEM FABRIcium Montanum.

Montane Aonidum comes ſororum,
Hos ſex continuos mihi per annos
Dum Mars turbat Hyantias puellas
Nunquam uiſe, ſed omnibus diebus
Pars deſiderij mei ſub Arcto.
Ecquid uiuis adhuc, ualéſque? nam te
Noſter uiuere nunciauit Altus,
Terris Altus ab Italis reuerſus.
Muſarum decus ô uetus ſodalis
Quo non ſuauior eſt, erit, fuitue,
Dic, quidnam tot agunt pares amici?
Blandi Carolus arbiter leporis,
Et tu mi Guilihelme, túque Funci
Iucundi, unanimes, & eruditi.

Illam uer utinam nouum reducat
Qua uos alloquar audiámque, lucem:
Et pulchros uideam lacus, & urbem
Quam leni ferit amne, qui propinqui
Exit Limagus in fluenta Rheni.
Nunc Alpes niuibus iacent amictæ,
Nec curuæ per aquas uolant carinæ,
Quando Phillyrio potitus arcu
Decliues agit imbrifer iugales
Hyberno properans ab axe Phœbus.

IN DEFECTVM LVNAE.

Sunt aliquid cladis prænuntia ſigna futuræ,
Exitus aſſiduis comprobat illa malis.
Nec fruſtra monuere graues inſtare tumultus,
Euentu toties ſydera nacta fidem.
Nũc quoq;, quod patriæ fauſtũ ſit & utile, cælũ
Indicat ambiguos non procul eſſe metus.
Dic Dea quæ certis labentia motibus aſtra
Aſpicis, & cauſam nominis inde trahis:
Quid uult mœſta ſibi tenebris ſoror abdita Phœbi
Dum premit in cæli culmine terga nepæ?
Eloquar, Vranie reſpondit, Scorpius iſtis
Neſcio quem terret nocte ſilente minis

Quo naſcente ſtetit ſpargens lethale uenenum,
In medio, cauda uirus habente, polo.
Cuncta licet uerſes, & te prope mundus adoret
Quiſquis es, incertas diſce timere uices.

AD HORTVLVM Claudiæ.

Salubris hortule, elegans ſuburbani
O celle ruris, & cubile Nympharum,
Qui uere iam tepente ſæpe iucundos
Præbes mihi puellulæque ſeceſſus.
Sic nec tibi aura peſtilens odoratas
Lædat roſas, nec alba Caurus inuiſis
Flabris adurat lilia, & nouos rores
Miniſtret uſque Memnonis nigri mater:
Mei precor iocos amoris occulta
Dum te uel indies miſellus inuiſo,
In herbuliſque cum meo igne conſido,
Vbi latus riui premunt ſuſurrantes,
Eduntque motis ſibilum comis auræ.
Ibi illa multa delicata cum fiunt,
Tu cernis hortule, & uides coronatam
Meam puellam paululum reclinatam
Mecum iacere ſomnulo uelut leni
Victam, meum dum mollibus caput ſertis

Reuincit,

Reuincit, & reflagitans in amplexus
Serpit uenuſtè, ſuauiúſque blanditur.
O cellulos tunc uibrat uſque ridentes,
Meóſque ludibunda uexat ardores.
Et baſia uda millies columbatim
Figit rogata, ſpiritúmque transfundit
In cor meum, hinc amore membra tabeſcunt,
Halans amaracus uelut pruinoſis
Cum tacta flatibus repente marceſcit.
Hæc dulcis hortule, ut rogamus, occulta,
Ne caprimulgi filia illa uicini
Sentire poſſit, illa quam probè noſti
Ad hoc ſalictum clam latere proſtratam,
Captare ſi quas auribus queat uoces
Vt deferat per urbis angulos omnes.
Et hinc meorum me ſodalium cœtus
Vexant, quod aſſis æſtimamus, à riſu
Si temperarent peſſimi poëtarum.
Qui ſæpe ceu uagi nouos legant flores
Cum uix anethum, maluam & allium norint
In hortulos ſolent uenire per cauſam
Venis tumentibus, uelut nigra in ſylua
Ad buculam ruit maritus armenti.
Hos tu procul fuga, & patens mihi ſoli
Mei iocos amoris hortule occulta
O celle ruris elegans ſuburbani.

AD SYDVS BORVSSIACVM
ſuauiſſimum ſodalem ſuum.

O ſydus, quid adhuc tuos amores
Semimortuus, & ferè pereſus
Curis, quid retices tuo Secundo?
Nam ſimplex ſcio candidæ puellæ
Vrit te pudor, impotensq́ue uiuum
Exugit tibi ſanguinem miſello
Imis ardor inæſtuans medullis.
Nec charos latet improbus ſodales
Venis hauſtus amor ſiticuloſis,
Sed flammas dolor arguit colórque
Inſuetúmque ſilentium feroces.
Frons porrectior ante, nec per herbas
Sordebant tibi floridi receſſus,
Nec conuiuia, nec tui libelli.
At nunc illepidus repente uiuis,
Feſtinans trepidus modo huc modo illuc,
Et uoces leuiter proteruiores,
Et furtim numeros procaciores
Mellillámque ſonas roſunculámque
Et quicquid miſeri ſciunt amantes
Mulſum, delitias, amœnitates.
Vidi, & cum roſeas manu papillas
Velles tangere per iocum, ſed arctè
Obſeptus fuit hortulus, quid udas

Dicam, proh furor, oſculationes?
Et morſus, & anhelitus frequentes,
Nil abradere dum potes, premiſque
Et pulchris inhias gemens ocellis,
Nec mentem ſatias, nec ima ſentis
Labi tabidulam per oſſa mortem.
Quare, dum licet, es mihi monendus
O ſydus, noua dum recensq́ue flamma eſt,
Ignes excutias ut inuenuſtos,
Tectum nec tibi blandiens uenenum,
Aſſuetudine nutrias & uſu,
Victor ſic eris aut diu dolebis.

INFERIAE AD GEORGII
Lotichij fratris tumulum.

Tandem contigimus poſt duros mœnia caſus,
In quibus ante diem frater adempte iaces.
Dic age ſi quis eras uiuentis nuper amicus
Notitiam tumuli flebilis unde feram?
Aut, graue ſi non eſt, duc ad miſerabile buſtum,
Manibus ut præſens ultima dona feram.
Sic ego, ſic unus lapis hic ait occulit illum,
Cúmque meis lachrymis miſcuit ipſe ſuas.
Salue parue cinis peregrina condite terra
Nunc cinis, Aonidum frater amice prius.

Frater amabilior dulcis mihi lumine uitæ,
Aetheris, heu, pulchra quàm cito luce cares?
Quattuor addideras ſeptem natalibus annos,
Iámque lyræ cordi, iam tibi carmen erat:
Tempore quo tecum ſpem noſtram fata tulerũt,
Vitáque deſtituit corpus, & ora ſonus.
Non reditu potuere tuo gaudere parentes,
Ingenij nullum diuitis extat opus.
Ah miſerande puer prima ſublate iuuenta,
Dimidium tecum mors tulit atra mei.
Gloria muſarum tu ſumma futurus, & olim
Dulce decus noſtrum, ſi licuiſſet, eras.
Iam nemus Elyſium fortunatóſque receſſus,
Et ſuperas habitas umbra beata domos.
Sit tranquilla, precor, requies, ſpéſq; alma piorũ,
Hoſpita ſit nullo pondere terra tibi.

AD MARCVM Eridanum.

Vt uetus hoc merito, quã præterit herbifer Albis,
Vrbs de uirginibus nomen adepta gerit.
Tot quoniam facie præſtantes Marce puellas
Quamlibet è mediæ ſanguine plebis habet.
Noſtra nihil certè uidet his formoſius ætas,
Vix Helene talis, uix Ariadna fuit.

Sunt tamen & faciles (mirum) faſtuq; carentes,
Numen & Aonidum qui uenerantur amant.
Iamq; peregrino ſuſpirat in hoſpite furtim,
Aggemit & noſtris multa puella malis.
Me geminæ torquent, ſpectabilis altera uultu,
Altera compoſitis, utraque uirgo, comis.
Diuidor, & flagrāt duplicatis pectora flammis,
Sæua nec in curas quod Venus addat, habet.
Tu placidis Aloes fœliciter ignibus ardes,
Cura ſuburbanæ uirginis Eridane.
Quid tamē AEmiliā loquar, AEmiliæq; ſorores?
Pulchrior hoc facies nulla ſub axe fuit.
Viue potēs in amore tuo, iam Marce propinquat
Mollior, exilio ſors poſitura modum.

AD GEORGIVM CRACOVIVM Et M. Lucanum.

Lucane optime tuq; mi Georgi,
Qui uerſus canitis uenuſtiores
Et graiæ pede uocis & latinæ.
Iſtos, ſi libet, urbis inquietæ
Linquamus ſtrepitus, & ut ſolemus,
Iucundis ſpatiemur in uiretis
Reſtagnantis ad Albidos fluentum.
Laſſi nunc etenim iuuantur artus
Cæli temperie ſerenioris.

Et leni ſimul ambulatione.
Nunc blandæ nemoralibus ſub umbris
Mulcent aera cantibus uolucres,
Et gratis parit irrigata riuis
Flores gramine diſcolore tellus,
Quos mitis fouet aura, dum ſerenis
Spirat lene Fauonius diebus.
O gratiſsima ſolitudo ruris,
O ſyluæ uirides, auete nymphæ
Et fontes & agelluli feraces.
Poſtquàm Claudia me leuis reliquit
Rumpens ilia nunc ſimul trecentis,
Vos ignobilis otij uoluptas,
Et noſtri requies laboris eſtis.
Non hîc liuor adeſt, malæq́; curæ
Aut ueſanus amor ſitisq́; habendi,
Nec caſus uarij negotiorum.
It ſecura dies, ſoporq́; mollem
Totis noctibus irrigat quietem.
O uerè ter & amplius benigno
Ortus ſydere, qui ſibi ipſe notus
Nympharum ſocius choris dearum
Sic degit placide, uidétque tecto
Fumum dum ſalit ater ex auito.
Hoc uitæ genus eſt beatioris
Lucane optime túque mi Georgi.

DE PVELLA INFOELICI.

Abditus arboribus ſecreto nuper in horto
Solus, amans uirgo dum quereretur, eram.
Dum legit hîc uiolas, dum fletibus irrigat illas,
Auribus hæc hauſi triſtia uerba meis.
Ah nimis infidum genus crudele uirorum,
Sic igitur falli digna puella fui?
Mater Io, ſi quid poſt fata nouiſſima ſentis,
Quæ mala, morte tua ſola relicta, fero?
Deſeror infœlix, alias monitura puellas
Non iuuenum uerbis ſemper ineſſe fidem.
Cui tamen has uiolas? cui ſerta miſerrima uirgo?
An dabis hæc illi munus, an ipſa geres?
Finge dari renuit, florum me dedecet uſus,
Tam cito ſic igitur ſpernor amata diu?
Nunc odij fingit cauſas, nunc perfida dicor,
Nunc omnes clamant, culpa puella tua eſt.
Iuro tibi mea lux nil te mihi dulcius uno,
Nunc etiam quãuis ſim tibi uilis ego.
Hactenus, & repetens ſuſpiria, lumina terſit.
O nunquam uacuo pectore quiſquis amat.

DE PEGASO EQVO AVRORÆ, & Georgio Sabino Brandeburgẽſe.

Admonitrix operum tenebris aurora fugatis
Vecta Meduſeo præpete mane rubet.
Hunc prior alati pedis ictibus edidit ætas
Fontis equum uenas elicuiſſe noui.

Virgineas Helicon laurus ubi, præmia uatum
Educat, Aonius templáque cœtus habet.
Pandite Pegaſides, cur huius origo liquoris
Dicitur Auroræ Pegaſus ales equus?
Tempus (ait Clio) matris ſub Memnonis ortum
Aonijs gratum uatibus eſſe ſolet.
Tunc uigor intus agit maior, tunc pectora cælo
Ingenijs prima luce fauente, calent.
Inde fluunt ſacri latices, ſtudioq́; perennes
Fons matutino fundit apertus aquas.
Cur tamen acer equus radiantibus additus aſtris
Et quæ fodit aquas ungula, clara micat?
Conſpicui fulgent (dixit dea) ſyderis inſtar
Ingenioſa mori quos monumenta uetant.
Vatis at in clypeo cur nunc uolat ille Sabini?
Sic ego, ſic Clio protinus orſa loqui.
Pegaſus ut cunctis pernicibus ocyor alis,
Impariter iunctus ſic prior ille modis.

AD PSITTACVM DANIELI
Stibari. Eq. Fr.

Pſittace qui uincis genus omne canore uolucrū,
Et docili fingis guttture mille ſonos.
Dicere ſi fas eſt (ſicut reor eſſe) latentem
Humanæ partem tu quoq; mentis habes.
Ingeniúmne ſagax prius? an diſcrimina uocum,
An tibi tam raram mirer ineſſe fidem?

Tu uacuas mulces iucundis cantibus aures,
Comiter excipiens ſi quis adire uelit.
Sæpe choros ducis lepidos, & amabile quiddam
Succinis, & dulci riſus ab ore ſonat.
Temporibus certis tamen apta ſilentia præſtas,
Poſt modo quódq; canas mens tua uerſat opus.
Voce nec admiſſum tu detegis ullius index.
Damna tua nemo garrulitate tulit.
At cur ſæpe uocas nigrum? niger ecquid inhæret
Pectoribus turtur Pſittace fide tuis?
Hunc nec honore parem, nec amœni dotibus oris
Cum tibi ſit rari forma coloris, amas.
Quid facere humanis debemus ſenſibus aucti
Nomen amicitiæ cum uenerentur aues?
Scilicet in domini te uertis Pſittace mores.
Hinc ea dexteritas, hinc tibi tanta fides.
Dij faciãt longos ſit uterque ſuperſtes in annos,
Gloria tu uolucrum, temporis ille ſui.

INFERIAE AD TVMVLVM
Vlrici Hutteni Eq. Fr.

Alloquor Hutteni manes, cineresq́; poëtæ
Quos breuis in medijs inſula claudit aquis.
Eſte ſalutati manes, hæc ſumma laborum eſt,
Alma quies uobis ſit, nec arena grauis.
Accipe cum uiolis lachrymas, tibi fundimus illas
Morte tua fœlix maxime nuper eques.

Fœlix morte tua, patriæ non fata ruentis
Cuius eras uindex, non tot acerba uides.
Patria poſt obitus tibi contigit altera, cœlum,
Maior & in cunctos fit tua fama dies.
Fortunate cinis, uenerande nepotibus ipſis,
Æternum ſalue perpetuumq; uale.

AD MALA AVREA.

Aurea mala meæ donum ſaluete puellæ,
Aurea purpureis addita mala roſis.
Quæ mihi ſupremo, cum iam diſcedere uellem
Tempore, formoſa tradidit ipſa manu.
Addidit & uoces blandas, repetitaq; fixit
Oſcula, cum lachrymis admonitura ſui.
Iſte precor mecum ſemper, quaſcunq; per oras
Nunc uagus ignotis gentibus hoſpes ero.
Longa nec interea noſtros uia mutet amores,
Grata nec emigret pectore cura meo,
Talia Nauſicæ decerpſit ab arbore poma,
Heſperidum tales uix tulit hortus opes.
Tale fuit roſeis in odoræ uallibus Idæ
Victrici tenuit quod Cytherea manu.
Poma ſuo quondam iuuenes in amore iuuabant,
Auxilium multis poma tuliſſe ferunt.
Regis aquæ proncpos malo Schœneida cœpit,
Quam nequijt curſus, poma tuliſtis opem.

His

His tibi Cydippe(ſcit candida Delos) Aconti,
His patruo Cereris filia iuncta ſuo eſt.
Fœtibus arboreis dominam placare ſolebat
Paſtor amans, mittens aurea mala decem.
Fallor? an hæc etiam nobis cum traderet illa
Senſimus inſolito pectus amore rapi?
Fulgor & extincto iam pene reluxit ab igne,
Lenis ut à zephyro creſcere flamma ſolet.
Siue tamen feſſo quod amem dabit altera tellus,
Seu mihi cura recens finis amoris erit:
Virginis aſsiduè meminiſſe iuuabit amatæ,
Semper inoblitus muneris huius ero.

PRO VVOLFGANGO NEVſteter cognomento Sturmer. Eq. Fr.

Da uiolas hoſpes, iacet hac Vuolfgãgus in urna,
Qui puer à ſæuo pertulit hoſte necem.
Ille quidem patrij quondam cognominis hæres
Acer & inuicto marte futurus erat:
Abſtulit atra dies, generis nec profuit ingens
Gloria, principibus nec placuiſſe uiris.
Da lachrymas hoſpes, nec uiuere differ in horas,
Sic memor humanæ conditionis eas.

AD IOHAN. HAG. FRANCVM.

Hagi, fugit hyemis, nouosq; tellus
Leni fœta parit tepore flores:

Mulcet flatibus irrigántque riui.
Ergo mollibus ecquid in uiretis
Orto ſole cubiculum relinquens
Lætos per iuga floſculos, & udis
Fœlices legis herbulas in hortis?
Et quaſcunque ad opem roſas medendi
Tellus educat utiles ſub Arcto.
Sic Hagi breue uer agas, ſed æſtas.
Poſtquàm tranſierit, Veſontionem
Antiquam uenias, ut ante Brumam
Ad flauas Ligeris uolemus undas.
Aut, ſi fert ita cælitum uoluntas,
Ad montis iuga læta Peſſulani.
Nunc ſolus gelida ſedens in umbra
Ad rupes Dubij, recordor actæ
Vobiſcum rigido ſub axe uitæ
O deſiderium meum ſodales,
Omni tempore quotquot eſtis omnes,
Quos iunxit mihi dulcis eruditæ
Conſuetudinis uſus, & receſſus
Cultrices Heliconij, Gnidij;
Lucos Diua colens arundinoſæ.
Abſentis quoque uos, mei ſodales
Conſeruate memoriam Secundi
Qui uos diligit, atque amare porrò
Omnes, ut prius, eſt paratus annos.

AD MATHIAM STOIVM BORVSSVM.

Quæris ſollicitos cupidus in amantibus ignes
  Stoi cur toties ſine carere putem.
Et memoras quorum ueteres meminere poëtæ,
  Quos ferus extrema tabe peredit amor.
Confiteor flammas alit aſſuetudo latentes,
  Ponere nec facile eſt quæ placuere ſemel.
Improba plus animos penetrãt tamẽ oſcula Stoi,
  Oſcula conſtantes immoderata mouent.
Scilicet alterni captatus ſpiritus oris
  Neſcio quid iunctis motibus intus agit.
Ex animaq́; uagum lenem uelut excipit auram,
  Dum cupit ardores cor releuare ſuos.
Non aliter riguas tellus bibit arida lymphas,
  Languidulas aliter non fouet aura roſas.
Vtq́; peregrina coaleſcit in arbore ramus,
  Inq́; uicem ſuccos miſcet uterque ſuos:
Alter in alterius ſic corpore uiuit, & ardens
  Pectoris eſt uerè pectus amantis amans.
Dulcis amaricies amor eſt, tu candide Stoi
  Mollibus illecebris oſcula miſta caue.

Noſtris populus, aut ſalix capillis,
Quas ripis Arar educat propinquis.
Nam Myrto nec adhuc ego, nec auſim
Phœbea caput impedire lauro.
Sambuco quoque dic & Appiano
Huc ad me ueniant, ſacras agemus
Et uino & fidibus Maronis idus.
His Phœbus pater idibus Maroni
Illuxit, charitesq́; uagienti
Hauſtu nectaris imbuere guttur.
Iunctis adſit oloribus Dionæ,
Et blandus pharetra puer remiſſa,
Adſint rite uocantibus camœnæ.
O me ſi qua receſsibus dearum
Illis inferat, auiasq́; monſtret
Valles, qua tenui canens auena
Te fœlix amarylli, téque phylli
Albis phylli decentior liguſtris,
Intonſas docuit ſonare ſyluas.
Quando limpide te uidebo Minci?
Qui natale rigas ſolum Maronis,
Ripas præteriens arundinoſas.
At uos idibus his mei ſodales
Triſtes ponite cogitationes.
Mox flauas Ligeris petemus undas,
Nec tuſsim metuo grauedinémque,

Nec

Nec caſus dubios periculorum.
Quid ceſſas puer? i, frequentiores
Appone, & cyathos capaciores,
Nec lymphæ mihi temperent lyæum.
Cras rorantia rurſus, & minuta
Imple pocula, quid moraris? ohe,
Sit multo focus igne luculentus.
Da rurſus, ſimul ut bibamus omnes
Conſuetudine nationis huius,
Nec quiſquam malus atque curioſus
Ternos ter ſtupeat ſcyphos bibentem.
Sic mecum lepidiſsimi ſodales,
Has idus numero uel hoc uel illo
Ludentes agite, & nouem ſorores
Vnà ſupplicibus rogate uotis.
Sed iam nox uenit, heſperúſque, riuos
Muſæ claudite, ſat bibere prata.

AD SVSPIRIA ET LACHRYMAS.

O præſaga mei ſemper ſuſpiria luctus,
O gemitus mœſti flebile cordis opus.
Quid toties æger de pectore ſpiritus imo
Surgit, & inuiti ſæpe madent oculi?

Quid tamẽ eſt præſaga mali quod pectora mœrẽt?
Quod gemo, quod cauſa ſæpe latẽte fleo?
Triſtia uenturos cognoſco per omina luctus,
O anime infœlix non potes eſſe diu.
Nil præter lachrymas hæc, & ſuſpiria uita eſt,
Quæ ſi ſine bono clauditur acta, ſat eſt.

ELEGIA AD LVNAM.

Dum glaciale riget brumali frigore cælum,
In mediæ facio tempora noctis iter.
Nec mihi nota uia eſt, nec præbent ſydera lucem,
Denſaq́; ſarmatico nix Aquilone iacet.
Ergo pruinoſæ moderatrix Cynthia noctis,
Huc adhibe uultus officioſa tuos.
Cauſa grauis cogit dubij quod plena timoris
Per loca, dum tenebris cuncta teguntur, eo.
At mihi quid prodeſt ſolida quod imagine fulges
Lucida cum denſis nubibus ora tegas?
Forte pudet roſei maculas oſtendere uultus,
Orbe magis cum ſis uerſicolore decens.
Non te purpureo circundata uincit amictu,
Incipit æthereæ quæ Dea lucis iter.
Nec ſimiles uultus, prælata duabus in Ida.
(Pace loquor Veneris) mater amoris habet.
Exere portantes radiantia lumina bigas,
Néue meæ dici cauſa merere necis.
Non gladios metuo, uiolenta nec ora luporum.
Sit licet Hercynium non procul inde nemus.

Sed coaceruatas(uos alta ſilentia teſtor)
Quis dabit his tenebris exuperare niues?
Nulla pedum uideo ueſtigia,nulla rotarum,
Et piceis cælum nubibus omne latet.
Iámque fatigatum dubiarum ambage uiarum
Corpus,& immiti frigore membra rigent.
Cur tamen aſpectu te ſubtrahis inuida noſtro?
Et mala cum poſsis tanta leuare,grauas?
At memini cæcæ cum fretus munere noctis
Nuper amans foribus ſerta daturus eram:
Cuncta ſerenato remouebas nubila cælo,
Proditus & per te fabula manè fui.
Nunc radiis fulge ſtirps ô Latonia puris,
Si careas illis,quis tuus uſus erit?
Fallor?an es magicas cælo deducta per artes,
Téque reluctãtem carmen & herba trahunt?
Nunc reſonare cauis tinnitibus æra uellem,
Vt ferrent,quoniam ferre putantur,opem.
Fallor,in aſſuetis te paſtor Latmius herbis
Detinet,oblitam ſcandere rurſus equos.
Spargis & amplexum uiolis,& ſedula curas,

Iam Tegeæa micat uirgo, quique aurea cuſtos
Raptus ab Arcadijs uenit in aſtra iugis.
Andromadéque ſuis nondum reſoluta catenis,
Et Cepheus genitor, Caſsiopéque parens:
Quique datis findens olim talaribus auras
Per liquidum Perſeus aëra fecit iter.
Non ego iactandas humeris deſidero pennas,
Sparge iubar tantum, non ego ſegnis ero.
Aut plus aut medias nox attigit humida metas,
Et maris occidui Plejas intrat aquas.
Culmen & aſcēdit, qui uexit Ariona, Delphin,
Vatibus aſsiduè ferre paratus opem.
Exere conſpicuos nunc ô pleniſsima uultus,
Exere, nec capiti frigida parce meo.
Sic neq; te magicæ confundāt murmura linguæ,
Dira nec æmonijs pabula nata iugis.
Nec mala uicinæ lædant contagia terræ,
Ambroſiáque leues ſemper alantur equi.
Ipſe poteſtatésque tuas, tua nomina dicam,
Mille poteſtates, nomina mille canam.
Iamq; repurgatis argentea nubibus exis,
Icta repercuſſa luce refulget humus.
O mihi ſi pulſis faueant Aquilonibus auræ,
Ordine per laudes dum iuuat ire tuas.
Tu ueneranda poli regina, ſequentibus aſtris.
Conſpicuos rutilo ducis in axe choros,

Et licet

Et licet è cunctis quæ ſuſtinet aureus æther,
Aſpicias terras è propiore loco:
Nota tamen quod ſunt, nec inobſeruata feruntur
Sydera cum fixis irrequieta, tuum eſt.
Nulláque te poſſunt rapido præuertere curſu,
Orbita ſæpe licet ſumma retardet iter.
Nec tibi par, quanuis nectat talaria plantis,
Atlantis magni Pleionéſque nepos.
Hoc quoque quod tecũ rutilos cõmunicat ignes,
Sol oculus mundi, gloria magna tua eſt.
Menſibus implebas tu priſci temporis annos,
Dum populus ſapiens, dum nouus orbis erat.
Tu uarios ſumis, reparando cornua, uultus,
Arbitriúmque uiæ liberiores habes.
Nam modo cũ rigido gelidos Aquilone Triones,
Nunc petis humenti proxima ſigna Noto.
Sic quibus utiliter præbes naſcentibus ignes
Non ſinis obſcuros laudis habere nihil.
Tu quoq; ſcis (nec culpa tua eſt) ſcis optima Phœ-
Cur toties longas cogar inire uias. (be
Vis tua quæ cælum, quæ magnus continet aër
Temperat ...

Omnia tu ſuccis uires augentibus imples,
Aptáque naſcendis ſemina rebus alis.
Nec mihi quis Phœbi perſuadeat artibus uti,
Ni tuus haud dubias det fauor ante notas.
Cortice nec fiſſo teneros infigere ramos,
Nec patulas curua cædere falce comas.
Quid loquar ut nautis, & amœna colentibus ar
Significes imbres pallida, rubra Notos? (ua,
Tu potes æthereas abrumpere nubibus undas,
Carceris Aeolij tu reſerare fores.
Tu quoq; uentris onus grauidi parietibus aufers,
Vnde datæ merito nomina lucis habes.
Tu dea ſub terra poſiti clariſſima mundi
Perſephone fratri conſociata Iouis.
Nec leuis ira tua eſt, quē tu premis ore tumenti
Pronus agit ſpumas, & pede tundit humum.
Diua potens nemorum, debellatrixq; ferarum,
Te iuuet armenijs tigribus eſſe trucem.
Fac timor ut uacuas omnis uaneſcat in auras,
Humanisq; faue, non metuenda bonis.
Sed bene habet, uenit (ecce) uenit, lux alma pro-
Clarus ab Eóo lucifer orbe uenit. (pinquat,
Lucifer aſtrorum ſalue decus, ortaq; nigri
Memnonis à pelago te duce mater eat.
Ipſe dabo lucem, uigilata nocte, quieti:
Nox ita finita eſt, & uia, Luna uale.

FINIS.